

Nf. 24.

AD
FESTUM NATALITIUM
SERVATORIS MUNDI,
REGIS REGUM,
ET DOMINI DOMINANTIUM,
DOMINI NOSTRI

JESU
CHRISTI,

IPSO CURRENTE
JUBILÆI EVANGELICI SECUNDI

ANNO SALUTARI,
RITE, DIGNE ET SANCTE
CONCELEBRANDUM,
CUJUSQUE GENERIS ATQUE ORDINIS
CIVES ACADEMICOS
SERIO ET PERAMANTER
EXHORTATUR

UNIVERSITATIS FRIDERICIANÆ
PRORECTOR

IOAN. PETR. *Sudewig* / ICT.

POTENTISSIMO PORUSSIÆ REGI A CONSILII REGIMINIS ET CURIALIBUS,
JUR. ATQUE HIST. PROF. AC MAGDEBURG. TABULARII ARCHIVARIUS.

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typ.
A. C. MDCCXVII.

bg.



AD
FESTUM NATALITIUM

SERVATORIS MUNDI

REGIS REGUM

ET DOMINI DOMINANTII

DOMINI NOSTRI

IESU CHRISTI



1850 CURRENTE

JUBILAEI EVANGELICI SECUNDI

ANNO SALUTARI

RITE, DIGNE ET SANCTE

CONCELEBRANDUM

CUIUSQUE GENERIS ATQUE ORDINIS

CIVES ACADEMICOS

SERIO ET PERAMANTER

EXORITUR

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PROFECTOR

IOAN. PETR. ~~...~~ ICT.

POTERUNT FORSIT RECIPIERE A CONSENSU REGIMINE ET CHANCELLERII
IUR. ATQUE HIER. THEOL. MAGISTR. TANTUM ACADEM. VARIIS

CHRISTOPH. ANDREA. VITTELBERG. ABB. 1750
L. C. MDCCCLXII





I. N. 7.

REvertitur, ó *Charissimi*, sanctissima beati illius *Patris* memoria,

- - - *Virgo quo puerpera*
Edidit mundi salutem, facta Sancto Spiritu,
Et Puer Redemptor orbis os sacratum protulit. a)

Dignam equidem, quam gratisimis religiosissime recolamus mentibus! Mysterium enim hodie consideratur, uti salutare universo generi humano, ita omnium confessione maximum, & fide viva suscipiendum. Deum contemplamur *εὐαγγελιον*, b) *Virginem Θεοτόκον*, Regem servientem, Heroa vagientem, Patrem seculi in fasciis, c) Creatorem lactentem, Conservatorem Mundi in vilissimo obscuri stabuli praesepio.

Merito exclamavit Latina olim Ecclesia:

O admirabile commercium!

Creator generis humani,

Animatum corpus sumens,

De Virgine nasci dignatus est,

Et procedens homo sine semine

Largitus est nobis suam Deitatem. d)

Quanta, quæso, venustate & magnificentia Regum Principum atque

A 2

a) *Prudent.* in Hymn. IX. Cathemerin. & exinde desumpto Eccles. hymno *Gen.*
de natus ex Parentis.

b) Joh. I, 14. 1 Tim. III, 16.

c) Jes. IX, 6.

d) in Antiphona satis nota & pereximis.

atque Magnatum condecorari solent Natales. Lætitiam omnium præfert vultus, honorem loquuntur vestimenta, bona quæque resonant votivæ voces, gratulabundæ audiuntur acclamationes, ær festivo verberatur tubarum & tympanorum sonitu, dulcè per auras melos diffunditur, nox quoque variis diem mentiri cogitur ignibus. Et hæc omnia fiunt ad testificandam lætitiã paulo post cessaturam; Diis offeruntur, sed mortalibus; cum pompa instituuntur, at subito peritura. Ipsa rerum humanarum vicissitudo mediã inter gaudia aurem vellicat, & importuno lætantes admonet susurro, fugere horas, prætervolare celebritates, voluptati dolores, cachinnis lamentationes, hilaritati tristitiã succedere.

Παράγει γὰρ τὸ χῆμα τῆ νόσους τέτυ. e)

Utinam vero a peccatis etiã immunia essent Mundi hujus festa Natalicia! Natalem suum celebrante Herode lautum paratur Magnatibus, Chiliarchis & Primoribus Galilææ Epulum. Ad lætitiã omnes invitantur dapibus a mero; auribus quoque oblectamenta quæruntur & oculis. Intrat decore amicta ornatu, formaque spectabilis, Herodiados filia, artificiosè saltat, placet Regi & Convivis, laudatur, regia eaque jurata pollicitatione donum ei singulare, immo dimidiis æquale regni facultatibus, promittitur. Sed, ut reliqua taceam peccata, qualis eheu fuit solemnis epuli gaudiique exitus! Caput Baptistæ petitur, patinæ confestim imponendum, conceditur a Rege iam subristi, amputatur, affertur, ludibriis excipitur. f) O mensas vere Thyestæas! o nefandum Regalis & Natalitii convivii obsonium! o ludum minime ἀδιδάφογον! Hac non alia opportunior visa est Saturnæ ad occidendum Joannem occasio.

Meliora nobis suadet & sanctiora Festum Christi Nataliti-
um. Lætitiã poscit non carnalem sed spiritualem; non affecta-
ram,

e) 1. Cor. VII, 31.

f) Matth. XIV, 6, seqq. Marc. VI, 17, seqq.

tam, sed voluntariam; non simulatam, sed sinceram. g) Non amicus splendorem, non mensæ apparatus, sed vestimenta salutis, & alimenta spiritus, hodierna dies postulat atque suppeditat. Nec defunt bona verba, cum omnes pii de nato sibi Salvatore gratulentur, & summas Deo Patri agant gratias.

Surge ergo, Academia, surge,

Dominum venerare tenellum,

Puerum meditare tonantem;

Tibi lux aeterna renasci.

Superi sapientia cœtus,

Resonante per aera cantu,

Cathedra memoratur ab alia.

Hilari canit Angelus ore:

Fugiat timor, horror & angor,

En nuncia lata feruntur:

Populo mala plurima passo

Spes fulget amica salutis.

Davidis in urbe, Redemptor,

De virgine natus egenus,

Solamina dulcia praeferat:

Regem cito quaerite vestrum.

Domino placuit Dominorum,

Rigida praesepis in herba,

Stabuli recubare sub antro,

Lacero velamine cingi.

g) Huc referri merentur elegantia Leonis M. verba ex Serm. 1. de Nativ. Dom. Salvator noster hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est, locum esse tristitiae, ubi natalis est vitae, quae consumpto mortalitatis timore ingerit nobis de promissa aeternitate laetitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur. Una cunctis laetitiae communis est ratio, quia Dominus noster, peccati & mortis destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Exulter sanctus, quia appropinquat ad palmam, gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam, animescitur gentilis, quia vocatur ad vitam.

*Subito volitantia clavis
In nubibus agmina cantant,
Et in aethere personat hymnus
Omni memorabilis aeo:*

*Maximo sit in supernis summa Jovis gloria,
Pax super terram colatur atque crescat aurea.
Sancta mortales voluntas suaviter juvet Dei.*

Utinam vero placeant hominibus angelicis deprædicata laudibus Dei optimi de salute nostra Placita. Utinam exoptata diu Pax & concordia, quæ cælum terræ copulat, humanas etiam jungat mentes, & ad communia pietatis studia arctissime revinciat! Utinam displiceant luxus, superbia, vestium pompa, h) avaritia, vana gloria, & quælibet deliciarum carnales, ut intimum animis afferre queat jucunditatis sensum sacratissimum *Infantis nobis nati & Filii nobis dati* mysterium. i) Placeat cunctis laudabilis Pastorum simplicitas & obedientia, placeat Christi humilitas, placeat Mariæ & Josephi tolerantia, placeat denique cælestis Angelorum júbilus & triumphus.

Sed nimirum mundo hæc fordent, frigent, absurditatem redolent, risum movent.

*Pastor heic videt nitorem, Pastor hic habet fidem,
Pastor hic audita narrat, voxque permeat casas.
Ast nitens Herodis aula negligit tam vilia.
Nescit hac Prasfes Sacrorum cum Sacerdotum grege,
Non egenum, sed potentem quippe Christum possulant,
Plebsque vera despiciatur, fabulosis luditur.*

Rectius, o dilecta Deo Pectora, rectius, inquam, utamur sacra-
temporis opportunitate. Nulla nobis abeat solemnitatis hujus
particula, quin spiritualem nobis fructum pariat, & fruendum
relinquat.

O beator, in tenebris queis Jeboræ contigit

Splendi-

h) Act. XXV, 23.

i) Jcf. IX, 6.

*Splendidam spectare lucem, qui canentes audiunt
Fulgidas cæli phalanges & Poli præconia.*

Hujus ecce! participes reddi possumus beatitudinis in Spiritu; imitemur Pastorum fidem atque virtutes, k) & nobis apparebit nosque collustrabit salutaris Dei gratia. Sequamur pio affectu quærentes Jesum, & comites habebimus Angelos. Linquamus terrenas curas, ut ea, quæ in cælis sunt, possumus cogitare. Ad squallentes animis provoluti æterni Monarchæ cunas, adoremus immensum divinæ misericordiæ thesaurum, super stramineo repositum lectulo, nostramque pauperiem & miseriam æstimare discamus ab ineffabili Miserationis magnitudine, & a tam singulari medendi ratione.

Ipsa tamen Mysterii sublimitas pium nobis simul horrorem incutiat. Non enim natus esset Christus, nisi justus esset Deus, nisi vindex esset scelerum, & omnis mali osor acerrimus. Non cælos rupisset, & delapsus esset in tam profundam calamitatum abyssum, cælorum Dominus, nisi pœnas exegisset a nobis peccatoribus innumerabiles & æternas divina justitia. Hic itaque, qui descendit moriturus in tempore, revixit & ascendit regnaturus in secula. Idem rediturus est ad judicandum iuste orbem, iisdem stipatus agminibus, quæ nascenti hymnos decantarunt genethliacos.

*Ille, quem Pastor puellam vidit in præsepio,
Jam throno celsus superno, Patris ad dextram sui;
Arbiter rerum tremendus cuncta torquet numine.*

*Fasciis manus ligata sceptræ cæli jam tenens,
Et scabellum tam minuti tota tellus est pedis:
Vagienti os pusilli jura dicit omnibus.*

Quos

k) Ambrosius in Cap. 2. Luc. Non mediocre tibi hoc videatur exemplum, quod vilis persona Pastorum. Certe, quo vilior ad prudentiam, eo preciosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita & fucare nesciret. Simplicita enim quæritur, non ambitio desideratur?

*Quos ocellos osculata Mater est in angulo,
Jam rotantes nutu olympum sancti adorant Angeli;
Flammeos videbit orcus, grex pavebit impius.*

Sic igitur, *charissimi*, vivamus in mundo, ut natos nos cogitemus ad mortem & judicium. Sic Christum intueamur infantem, ut ne obliviscamur ejus majestatem. Sic ipsius pensitemus bonitatem, ut ejusdem simul revereamur justitiam & sanctitatem. Exulet a Festo nostro mundana volupras; nam spirituale est hoc gaudium. Conticescant in æternum turpiloquia & inanes confabulationes; nam castissimæ hodie clangunt Angelorum voces, mirandæ recitantur Pastorum narrationes, decentissimæ referuntur piorum congratulationes. Rumpantur omnia iniquitatis vincula; nam ad veram Christus nos vocat libertatem. Saturemur, non epulis, sed nutrituris interiolem hominem vitæ dapibus; inebriemur, non vini, sed Spiritus dulcedine, & exhilaremur exoptatissimo divinæ gratiæ Evangelio. Absit a natalitia Christi nostri luce, uti carnalis lætitiæ macula, sic etiam mundanæ tristitiæ nebula. Servientes Domino in timore, & lætantes cum tremore, *osulemur Filium, ne exardescat, & pereamus in via. Mox enim exardescet ira ejus. Felices autem omnes, qui in eo firma nituntur fiducia.* 1)

Denique præcinentem nobis hodiernæ lætitiæ causas de-
nuo audiamus & gratando imitemur Latinam Ecclesiam:

*Hodie Christus natus est,
Hodie Salvator apparuit,
Hodie in terra canunt Angeli,
Lætantur Archangeli;
Hodie exultant justî,
Dicentes: gloria in excelsis Deo.
Alleluja! Alleluja! m)*

1) Psalm. II, 12. 12.

m) Hæc etiam satis antiqua est Natalitii hujus festi Antiphona.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





57

FESTU
SERV

ET D
D

J
CH

JUBILÆI E

RIT

CUJUSQV

SI

UNIVE

IOAN.

POTENTISSIMO PORUS
JUR. ATQVE HIST P

Typis CHRISTO

NIUM

I,

J

I,

UNDI

NIS

Æ

CT.

CURIALIBUS,
HIVARIUS.

Acad. Typo

bg.



Farbkarte #13

B.I.G.

